

Forfatter: Arrebo, Anders

Titel: Udrag fra Breve

Citation: Arrebo, Anders: "Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965", i Arrebo, Anders: *Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965*, udg. af VAGN LUNDGAARD SIMONSEN ; Jørgen Glaahder , Munksgaard, 1965-83., s. 325. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-arrebo01val-shoot-idm140030262021984/facsimile.pdf> (tilgået 19. april 2024)

Anvendt udgave: Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965

7.

Til universitetets rektor og professorer.
Pacem et gaudium in spiritu sancto, a Deo patre
per Dominum meum Iesum Christum.

Magnifice Domine Rector, Viri admodum Reverendi, am-
plissimi, præstantissimi, clarissimi, Doctissimi, ne in Vos
alias occupatissimos longula scriptio peccasse videar, qvod
animus est in paucas, more Laconico, contraham periodos.
Fatis concessisse, cum meroe inavdivimus, Virum Reverendum
et clarissimum M. Jacobum Hassebardi Ecclesie
Vestrae Academicæ pastorem exinium. Jam vobis satis ab
superqve pertristes meæ conditiones innotuere, me videlicet ab
officij remotione tres, (et qvod jam excurrit) macilentas valde
et graciles, cum uxorcula et 5 conjugii pignoribus, solis
vixisse et sine omni promotione vidiisse circumvolutiones, ex
occasione, qvod nulla provehendi, inter ea temporis, sese
offerret opportunitas, nisi forte heic vellem obitum viri
desideratissimi Beatae memoriae Magistri Petri Hiennij fratris
et hospitis mej suavissimi defunctam qvam ambivi spartam
commemorare: a qva non serenissimus et clementissimus
Princeps, non illustris et Magnificus Dominus Cancellarius
Mecænas meus, auro contra carior, nec ipse senatus Hafni-
ensis (detestantibus vel proprijs illorum literis) me disjecit,
sed sola morientis pro vidua et liberorum [salute?] (qvam
irritam reddere non cupivi) a Simoni Surbeccio et Georgio
Danielio, mihi post redditum ab aula denunciata, in extrema
agonie, cura et intercessio. Alias serenissimus Princeps, Pro-
Rex, et Dominus noster clementissimus, senatu et civibus,
vt mej promotionem susciperent, clementer indulxit, literas
ad se darent, et sua serenitas vellet apud potentissimum
Dominum Patrem, totum negotium meliore forma deponere,
præsertim cum mihi nulla vocatio legitima, nisi sola (qvam
non desidero) Episcopalis, a clementia Regia vnqvm inter-
dicta sit, vel vñlus suggestus occlusus. Configio igitur in hoc

minus sperato casu et data commoditate ad magnificum Dominum Rectorem, Reverendos, Consultissimos, Excellentissimos, doctissimos et clarissimos viros, patres, præceptores, fratres et amicos apprime suspiciendos, dextram pensitans et ob ipsa sacra rogitanus, ut durissimas meas Conditiones miserati, suffragijs suis, votis et manibus auxiliaribus, in suo vacante jam pastoratu, indulgente clementissimo Magistratu, exambiundo, adesse dignentur; certi ac securi se id operæ sacræ hand impulcre locaturos, sed Christum Iesum Dominum messis in ultimo suo jam jam pro foribus adventu diviti et plena manu compensaturum. Qvia autem ex antecedentibus beneficijs et promissionibus mere paternis, de vobis ne grij [sic.] qvidem (qvin in hac mea extrema necessitate, annu[ente] Deo et Magistratu hoc amore et beneficio, benigne me mactetis) subdubitare et vacillare queam, pluribus non rogabo, sed vt Dominus noster Iesus Christus, spiritui Vestro in hac electione abundanter adsit, voti summa esto. Percepta a vobis vel minima linea approbativa ipse ad perillustrem Dominum Cancellarium, Principem, et (si opus fuerit) Regem nostrum clementissimum, bonorum et pliorum intercessione fatus, presens supplicabo, et favorizante Deo Calculum album me reportaturum sperabo. Possunt enim viri prestantissimi ex coniuncto privilegio, de mutato Dej gratia et, Magnifici Dominij Cancellarij interventu, in melius animo Regio, aliquo modo certiores reddi. Sancta trinitas vobiscum. Amen. Perscriptum celeri crena Anconæ Schanorum 5 Septembris 1625.

Paternitatis Vestræ cliens
Andreas Christiani Aroensis
Manu propria.

Udskrift:

Magnifico Domino Rectori, Admodum Reverendis, Consultissimis, Excellentissimis, Clarissimis et doctissimis Viris, Academia Hafniensis patribus et professoribus dignissimis et celeberrimis, Dominis et promotoribus suis apprime suspiciendis.